



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio III. Argumentum. Ostenditur, Quæ, & quot sint de essentia Sacrificii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94659)

semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. *Ephes. 5. 1. II. Mortificationem carnis, de qua idem Apostolus ad Rom. 12. 1. Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Sanctam, Deo placentem. III. Orationem, de qua sicut loquitur Regius Psalter in Psal. 140. 2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum Sacrificium vespertinum. IV. Laudem divinam, quam canunt Levitæ in Templis. Immola Deo Sacrificium laudis. Psal. 49. 14. Et Psal. 106. 22. Et Sacrificent Sacrificium laudis. V. Rectitudinem in operando cum iustitia. Tunc acceptabis Sacrificium iustitiæ. Psal. 50. 21. VI. Eleemosynas elargitas pauperibus Religio munda, & immaculata (Sacrificatio ponitur à S. Doctore) apud Deum, & Patrem hac est: Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. *Jac. 1. 27. VII. Jubilationem cordis ob celsitudinem Humanitatis Christi, & ejus supremam potestatem, de quatuor Psalms 46. Omnes gentes plaudite manibus &c. ut interpretatur Thomas le Blanc, in *Analysi Psalterii Davidici*: quæ quidem jubilatio experitur ab animabus piè passionem Domini meditantibus; quarum meditatio vocatur Sacrificium; juxta illud: Circumvi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis. Psal. 26. 6 VIII. Contritionem cordis pœnitentis, & jugiter lacrymantis ob commissa peccata, quæ gratissimum dicitur Sacrificium. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Psal. 50. 19. IX. Prædicationes Evangelii in gentes, & earum conversionem ad agnitionem veritatis, quam pariter vocat Sacrificium Apostolus ad Rom. 15. 16. dicens: Ut sim Minister Christi Jesu in gentibus; sanctificans Evangelium Dei, ut fiat Oblatio gentium accepta. X. Beneficentiam, gratique animi demonstrationem erga benefactores; juxta ejusdem Apostoli monitum ad Hebr. 13. 16. Beneficentia autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Omnia igitur supradicta opera pia appellantur Sacrificia, quia Deo sunt gratissima, & quoniam propria sunt populi Christiani; eundem in ipso sensu Allegorico, Sacerdotem appellavit Apostolorum Princeps dicens: Et ipsi tanquam lapides vivi superedificamini Domus spiritualis, Sacerdotium Sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles. Et rursus Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, 1. *Perr. 2. & S. Joannes in Apoc. 5. Fecisti nos Deo regnum & Sacerdotes. Quod bene declarat idem Collegium Salmanticen. in tomo de Incarnatione tract. 21. disp. 31. dub. 1. n. 3.***

(O)

DECISIO III.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quæ, & quot sint de essentia Sacrificii.

SUMMARIUM.

- 1 Sacrificium aliud in se, aliud in opere.
- 2 Sacrificium ut in se duo requirit, protestationem Divinæ excellentiæ, & destructionem rei oblata.
- 3 Sacrificium ut in actione, tria requirit: 1. Ut illa actio sit instituta per publicam auctoritatem. 2. Ut fiat pro toto populo. 3. Ut fiat per legitimum Ministrum.
4. Ozias Rex quare à Deo punitus?

ADverterunt nostri scribentes, quod non levis est Theologorum labor in assignandis iis, quæ sunt de essentia Sacrificii, ut videre est apud Card. de Lugo de *Euchar. disp. 19. sect. 1. Valentiam tom. 3. disp. 6. q. 4. punct. 1. & 2.* Porro pro faciliiori intelligentia dixerunt, distinguere oportere 1. Sacrificium in se, & circa intrinsecam suam naturam; atque Sacrificium in opere, idest actionem ipsam sacrificandi, & litandi. Quatenus Sacrificium consideratur in se, duo sunt de ejus essentia. Unum est protestatio, quam facere debet homo Divinæ excellentiæ, & supremæ potestatis à cuius nutu pendet omnis creatura. Alterum est, destructio rei oblata, vel in totum, vel in parte, ad significandum, quod Majestas Divina pro libito potest res nostras, & vitam nostram destruere. Card. de Lugo d. *disp. 19. sub num. 7.* ubi DD. allegat, & est doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 86. art. 1. Quatenus 3. verò Sacrificium consideratur in actione, tria sunt de ejus essentia. Primum. Ut actio illa sit instituta per publicam auctoritatem, ad denotandum illud summum opus Divini cultus, quod appellatur Sacrificium. Secundum. Ut actio illa fiat nomine totius populi, vel ad impetrandam remissionem peccatorum ejus, vel ad obtinendam eidem populo gratiam in hac vita, & gloriam in futura. Tertium. Ut fiat per legitimum Ministrum, idest per personam ad tale opus faciendum legitime deputatam. Colleg. Salmanticen. de *Sacram. in genere d. tract. 5. cap. 1. num. 2. & Gonet, tom. 4. disp. 3. art. 3. num. 11.* Hinc est, quod tam in vera Religione, quam apud gentiles Sacrificia erant instituta non ad unicujusque placitum, sed ab auctoritate publica Victimarum immolationes fiebant pro incolumitate populi; & nemo poterat ea offerre, nisi essent assumpti ad Sacerdotium; ideo Ozias Rex cum non esset Sacerdos, & tamen Sacrificium offerre vellet, punitus est à Deo, & lepra percussus. 2. *Paralip. 26.* Sed de his omnibus plenè in sequentibus Decisionibus.

DECISIO IV.

ARGUMENTUM.

Quid sit Sacrificium? Et de ejus vera, atque propria definitione, complectente omnia, quæ concernunt actum Sacrificandi